



**CL. V. Ioannis Wamesii, I. C. Celeberrimi, In Academia
Lovaniensi Antecessoris Primarii, Responsorum Sive
Consiliorum De Ivre Pontificio Tomus ...**

Wamesius, Johannes

[S.l.], 1643

De Censibus. Consilium CCCCLXXXIII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-98716](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-98716)

De Censibus.

S V M M A R I V M.

Census obligatio.

1. Testimonium de auditu, vel credulitate non probat.
2. Testimonia inter alias in simili vel eadem causa producta an prosint aut noceant alij in alia, saltem ad semiplenam probationem.
3. Iuramentum in defectum probationis deferri non potest non scienti.
4. Scriptura publica requirunt subscriptiones, non etiam privata.
5. Instrumentorum exempli seu copij quando credatur.
6. Libris consualibus quando credatur.
7. Libris antiquis quando fides adhibenda.
8. Antiquitatem quid faciat in scripturis.
9. Antiquitas quot annos requirat.
10. Fendali iudex cognoscat de causis feud. nō ordinariis.

CONSILIVM CCCCLXXXIII.

IN causa coram Magnifico Domino Rectore pendente, inter Dominum Hubertum de Riddere Actorem & M. Danielem de Bruyn Reum, facti magis, quam juris quæstio est; an scilicet dictus Actor satis probaverit, quod annuo censui seu redditui vulgariter *Wonderezen* nuncupato, de quo in hac causa quæstio est, subiecta sit villa seu colonia, quam Reus in pago de Nederishe possidet, & aliquot annis ex titulo emptionis possedit, & per suum colonum fructus seu pensiones inde percepit. Et si enim partim ex confessione Rei, partim ex testimonijs suis Actor, se huiusmodi censum seu redditum habere probaverit, restricta tamen est Actoris eā de re allegatio; non universalis & generalis, quoad omnes fundos & agros sub dicto pago de Nederishe sitos, sed dumtaxat de maiore illorum parte: ita ut inde probabilis effecta sit Rei negatio quoad fundos seu agros dictæ suæ villæ seu colonie; cum probatio dictæ allegationis non sufficeret, & pro Reo stet præsumptio libertatis, quam diu Actor non probat dictos agros seu fundos esse inter illos, qui hunc censum seu redditum debent, *l. Altius C. De servitut. & ibi Gloss.* Quamobrem, omisā hac indeterminatā allegatione de maiore parte agrorum sub Nederishe, Actor propius allegando proposuit, huic censui subiectos esse omnes agros & fundos, qui sub dicto pago de Nederishe siti sunt intra limites Domini de Loonbeeck, & locum dictum *Deyghen papken*; & quod intra illos fines sita sit colonia seu villa Rei, & agri illi coherentes: ut argumento ab extremis ducto, hoc ius universale quoad omnes agros intra dictos confines sitos asserere quoque possit in agris seu fundis, de quibus hic quæritur, *Bar. in l. Pomponius § fin. De acq. possess. Sacinus consil. 86. In causis communitatis n. 6. vol. 1.*

1. Videndum igitur est, an Actor hoc probaverit. Instrumenta, quæ ad probationem Actor in hac causa exhibuit, nullam prorsus faciunt mentionem dictorum confinium, nec huius asserti juris universalis in omnes agros intra dictos confines sitos. Sed produxit Actor super ea allegatione tres testes, qui tamen id in eā generalitate testificando, non dicunt. Nam primus testis contrarium depnendo dicit, quod non omnes agri intra dictos confines siti sint gravati hoc censu: secundus & tertius

testes aperte dicunt, se nescire, an omnes agri sub dicto confinio siti, seu illorum possessores sint gravati onere huius census sive redditus, & Et quamvis secundus addat, quod pluries audierit dici, quod maxima pars dictorum agrorum sit onerata hoc onere, & tertius dicat se credere maiorem partem eorundem agrorum eo onere oneratam esse: inde tamen certa & concludens probatio constitui non potest; non tantum ex eo, quod testimonium de auditu alieno præsertim simplici, non expressis personis, à quibus id auditum sit, nullius sit momenti, *l. 1. De aqua pluv. arc. c. Tam literis, c. Licet ex quadam De testibus Cravetta de antiq. temp. circa prim. Natta consil. 270. Trita est;* & testimonium de credulitate non sufficit ad probationem plenam vel semiplenam, *Specul. tit. de testib. §. 1. vers. item quod deponit de credulitate, vel in c. Inquisitionis n. 12. de accusat. sed etiam ex eo, quod huiusmodi assertio pertinentiter & incommutabiliter non concludat, hos Rei agros seu fundos esse sub maxima vel maiore illa parte agrorum huic oneri obnoxiorum. Ita quod veritas, quæ ex his testimonijs constitui possit, rem redigat tantum ad particularem propositionem seu pronuntiatum; quod scilicet quidam agri intra dictum Dominium sint huic oneri subiecti; ex quā non potest universalis interiri, omnes esse subiectos, nec etiam alia particularis vel singularis, hos vel illos quoque esse subiectos.*

Protulit Actor alia testimonia non in hac, sed in alia simili causa pro ejus parte contra Franciscum L. recepta, super eo, quod omnes agri intra dictos fines siti sint huic censui obnoxii; quæ nihilo magis probant, ex eo potissimum, quod sint testimonia recepta in alia causa seu iudicio, & inter alias partes; quæ alijs ut nō profunt, *c. Inter dilectos vers. nec attest. de fide instrum.* ita nec præjudicium regulariter faciunt; nec illis quidē similitudine causæ per omnia comparari possunt. Vnde testimonia de consanguinitate contra fratrem in alia causa non nocent alteri fratri, si de eadē cognatione quoad eum quoque alia sit institutio, *Barthol. Braccensis de nominis quæst. 48.* quia mutatio personarum, cum quibus singulis suo nomine agitur, aliam atque aliam rem facit, *l. si cum uno De excepti rei iud. Et quamvis Barthol. in l. Admonendi n. 45. De iururam. plerique. Ant. de Butrio, Ioan. de Imol. Panor. in c. fin. De iurur. Alex. in l. Sapē De re iudic. existiment semiplenam probationem ex huiusmodi testimonijs contra quoscumque constitui, si testes illorum testimoniorum tempore posterioris litis adversus tertium, sint mortui, sic quod iterum in hac causa examinari non possint, *arg. l. ult. c. De testibus;* id tamen ab alijs plerisque improbat; aut sic accipitur, ut in alio quidē iudicio illorum usus esse possit, nō adversus quemcumque; qui in priori iudicio non fuit, sed adversus illum eundem, qui in priori iudicio illa recipi curavit, aut adversus quē illa recepta fuerunt ad aliquale præjudiciū; adversus tertium verò etiam ex causa vel materia litis conjunctū aut adæquatū, nullū gradum præsumptionis faciat, etiam si testes huiusmodi testimoniorum mortui sint, *Bald. in l. 2. n. 17. & sequen. c. De edendo, Aretin. consil. 163. Sicut Ioan. n. 1. Franc. Curt. Senior consil. 72. Magnifice vir.* Nā quæ ratio facit, ut testimonia directio contra quemcumque recepta fidē nullam prorsus tiant; eadē facit, ut minus probare debeant adversus eū, cōtra quē pars testes producens*

non intendit probare, Cujus ratio inter alias est, quod hoc tertio non citato sint producti hi testes, *c. 2. De testibus*; & sic quoad illum productum sine processu, ideoque omnino nulliter, *Baldus & alij in d. c. 2. nu. 18.* Ut merito inde adversus tertium non possit constitui aliquis gradus probationis, multo minus semiplena probatio; quæ aliòquin in omnem eventum Actori in hac causa prodesse non deberet; ideo quod ex semiplena probatione nemo condemnari possit, sed adversus eum dumtaxat deferri adversario sic semiplenè probanti iuramentum in supplementum probationis, *l. Admonendi de iur. iur.* si cetera, quæ ad deferendum iuramentum necessaria sunt, concurrant. Quod hic dici non potest, ex eo, quod in propriam seu veram scientiam Actoris non cadat hæc allegatio, quod omnes agri intra dictos fines sit sint subiecti huius censui seu oneri. * Cum enim id non sit ex factis Actoris ex illius contractu, vel quasi contractu, sed illorum, à quibus Actor causam ad hunc censum habet: non potest illius quoque veram scientiam habere, *argum. qui in ius alterius de reg. iur.* & ob id nec ejus iuramento id permittendum est: quia juraret de facto alieno, quod ut periculo plenum est, ita nec iudici, ut permittat, concessum, *l. Marcellus §. 1. Rer. amot. l. Generaliter in priv. c. De reb. cred. & ibi Bald. idem Bald. in l. In bona fidei nu. 8. versic. quarto inspicit c. De reb. cred. Bartol. in d. l. Admonendi nu. 57. de iur. iur. Socinus conf. 194. Subtiliter vol. 2. Potissimum quia hanc allegationem de servitute huius census quoad omnes agros intra dictos confines, resistant testimonio in hac causa & instantia recepta, ut ante deduximus; ideoque omnem illam præsumptionem, quæ quoquo modo constitui posset in testimonijs ex alia causa reproductis, omnino discutiant; & quod inter illos dictus primus testis etiam in illa alia causa productus fuerit, quem diximus aperte in hac causa deposuisse, quod non omnes illi agri, intra dictos confines sint gravati hoc onere; quod ipsum similiter fortè deposituri erant testes in priore illa causa contra dictum Franciscum producti, si in hac causa reproducti fuissent, ut perinde reproduci poterant. Non enim allegavit Actor, nec constat, nec præsumitur, *l. ult. & ibi Doct. c. De sacros. Eccles.* alios illos omnes tempore productionis testium in hac causa fuisse mortuos; quod in omnem eventum esset necessarium, ad hoc, ut ex his testimonijs inter alios in alia causa receptis, in hac quamvis simili causa semiplena probatio contra Reum constitui posset, ex supradicta Bartoli sententia, *in d. l. Admonendi nu. 45.* quæ quibusdam catenus approbatur. Cum alioqui illa priora testimonia inter se admodum varia sint, nec satis consentientia, nec per omnia pertinentiter concludentia: quæ ob id Actori non tantum non prosunt, sed magis obfunt. Comparata enim & conjuncta cum testimonijs in hac causa legitimè receptis, inducunt contrarietatem seu saltem contradictionem inter se; ideo quod illa hoc ius in universos dictos agros magis asserere videantur; hæc verò non obsecrè declarant universitatem illam veram non esse. Ita quod inde nulla probatio constitui possit allegati huiusmodi juris, seu oneris in om-*

Conf. Wamel. Tom. II.

nes agros: quod Reo sufficere debet ad absolutionem, si non hoc quoque in hac causa per Actorem in specie probatum est, quod agri Rei intra dictos confines siti, sint obnoxij huic oneri.

Cui hoc quoque ad fidem dictis testimonijs detrahendam adijcimus, quod de illis aut de interrogatorijs adiunctis nulla legitima extet probatio: nuda enim sunt copię, & private scripturę, quę pro interrogatorijs & testimonijs exhibitę sunt, nullius publicę personę authenticatione aut subscriptionem habentes; quod in omnibus actis judicialibus necessarium omnino est: & siquidem, ut nec iudici de illis attestati, vel voce, vel suā scripturā credatur.

Nec movere quicquam debet, quod primus per Actorem in hac causa productus testis deponat sibi videri, quod hæc exhibitę testimonia sint scripta manu M. Ioannis L. Secretarij de Nederlische, & secundus testis dicat, illa scripta esse propriā manu M. Ioannis; nam ut inde constitui posset utrumque satis probatum esse, & quod eodem tempore dictus M. Ioannes fuerit Secretarius de N. & quod propriā illius manu sint scripta eadem testimonia, nihil maior fides huiusmodi testimoniorum scripturę esset adhibenda; ob id, quod non habeant ejusdem M. Ioannis authenticationem subscriptionem. Etsi enim sufficiat in privatis scripturis totam scripturam manu alicujus esse scriptam, etiam si ejusdem scribentis subscriptionem non habeant, *l. Cum antiquitas §. fin. c. De testam. in publicis tamen instrumentis à publicā persona, hoc est Notario vel tabellione conscriptam esse non sufficit, sed omnino necessaria est solemnitas ejusdem scribentis subscriptio, ad hoc, ut illi in iudicio stetur, l. 2. c. De conven. sibi debitorib. Castren. Alex. Iason. & alij in d. §. fin.*

Existimat quoque Actor se in specie satis probasse, per probationes factas super his allegationibus, quod Reus, & sui majores, & prædecessores hunc controversum censum seu redditum ultra hominum memoriam patri Actoris & ejus auctoribus solverint; item quod dicta villa seu colonia Rei sit nuncupata *Munnemoers Hoff*, & quod in regestis dictus census, seu redditus inter alias personas & terras, quæ hunc censum debent sit annotata villa dicta *Munnemoers Hoff*, & quod illius possessor debeat unum medium halstarium filiginis confertum & coagiatum seu coagmentatum, & biviole medium halstarium avenę, præterea unum medium halstarium filiginis, & medium halstarium avenę cum quinque denarijs: sed rectè expensę hæc probationes, nihil momenti in hac causa habent, Nam quoad testimonia dictorum trium testium super his allegationibus facta, hoc tantum probatur, dictam villam seu coloniam Rei vocari *Munnemoers Hoff*, quod Reus etiam aperte confessus fuit, sed non perinde hoc, quod vel Rei, vel alij possessores illius, hunc censum alicui solverint. Nam tertius testis super his allegationibus examinatus non est; secundus examinatus dicit se nihil scire: primus hoc tantum dicit, quod sui parentes eo tempore, quo in dicta colonia Rei habitarent, solverint patri Actoris pro iure appellato *Hondercozen* aliquid filiginis, sed nescit quantum; nisi quod à patre suo audierit de uno halstario: de avena & denarijs

M m 3

dicat

dicat se nihil scire. Quod autem nihil prober hoc testimonium, res ipsa manifestum facit: tum quod hic testis sit solus & omnino singularis, l. *maritus de questionib.* tum quod non deponat hoc hallitarium filiginis solutum esse ratione agrorum villæ, seu coloniarum, qui ad Reum nunc pertinent: nihilque vetet, quin de alijs agris ad patrem testis pertinentibus, colonus dictæ villæ solvisse potuerit dictum hallitarium ex causa dicti census, l. *Neque natales C. de probat.* Quod ipsum sine conjectura constat ex quarta copia extractorum per Actorem exhibitorum: in qua scriptum invenitur, quod Wilhelmus W. (quem ex identitate cognominis puto esse patrem dicti testis) ratione hujus census de quinque suis bonuarijs solverit filiginem. Quia in parte dictæ copiarum standum est adversus ipsum exhibentem, non etiam adversus alium, ut mox dicemus, DD. in l. *Instrumenta C. de probat. l. Pompeius scribitur veris, sed eo dicto D. de negot. gest.*

5 Instrumenta exhibita nihilo magis probant: nam in primis quod attinet ad copias extractorum ex assertis registris, & rotulis, in quibus dicitur annotatum, quod villa dictaminemores hof debet hunc censum, & pro eo medium hallitarium filiginis, & avenæ confertum; & aliud medium hallitarium filiginis & avenæ non confertum, sed deterfum: non potest aliquis effectus probationis in illis constitui: idem quod copiarum seu exemplarum instrumentorum, & documentorum, quæ non sunt confecta ex mandato Iudicis, parte cuius interest ad hoc citatâ, Iudice ea prius inspiciente, fidem non faciunt, nisi etiam ipsa originalia proferantur, l. 2. & ibi Gloss. *De fide instrum. c. 3. & ult. eod. tit. Decretum in Authen. Si quis C. de eden.* etiam hujusmodi copiatio seu exemplatio per tabellionem seu notarium publicum facta sit. Id enim ad ejus officium non pertinet, nisi prædictis intervenientibus; usque adeo ut nec plurimum notariorum conjunctum facta exemplatio fidem exemplato tribueret. Exemplo enim perniciosum, & ut ait Odofredus, in d. l. 2. nu. 2. malus ludus esset, si tabellionibus solis hoc permissum esset, quod exemplis illorum fides adhiberi deberet ex parata & obvia fraudis committendæ occasione, in proclivi hominum malitia, Cardinalis in d. c. ult. Carol. Ruinus consil. 88. De duobus nu. 10. & consil. 92. In hac causa nu. 17. vol. 4. Etsi igitur hæ copiarum extractorum sint confecta per M. Petrum Vekemans Secretarium & Notarium hominem notæ fidei, cuius manum & secretariatum Reus etiam agnovit: quia tamen illarum contenta idem Reus negavit, per se non sufficiunt ad probationem, non prolatis & exhibitis originalibus, ex quibus illa confecta dicuntur.

Quod animadvertens Actor tandem exhibuit illa asserta originalia, ex quibus prius exhibita extracta descripta erant, de quorum fide nunc propius dispiciendum est. † Et sane inter illa nullum est, quod habeat formam publicam & authenticam; sed omnia simpliciter constant ex privata scriptura, & ob id non præjudicant aliquo modo, l. *Instrumenta C. de probat.* nec alicujus firmitatis (ut inquit Gregorius Papa, c. 2. *De fide instrum.*) robor habent; & sic nullum probationis gradum, nec simplicem præsumptionem faciunt, l. *Rationes*

l. *Exemplo C. de probat. Molinæ ad consuet. Parisien. §. 5. nu. 11. Boerius decis. 105.* Verum quidem est, plerisque existimare, Bart. in d. l. *Admonendi, Bald. in l. 2. c. De eden. Boer. d. decis. 105.* hujusmodi censuales libros & catalogos, sine forma solemnium scriptos, saltem facere semiplenam probationem, si qui scripserunt mortui sunt: sed tamen hoc quoque addunt, ut id obtineat necesse esse, ut constet vel per confessionem adversarij, vel per testes, aut alia documenta, à quo scripta sint, & quod is qui scripsit, sit vir legalissimus, Socinus consil. 161. *Pro decisione nu. 3. vol. 2. Boerius d. decis. 105. nu. 6. Molin. d. §. 5. nu. 16.* Sed in hac causa Reus negavit omnes hujusmodi exhibitas privatas scripturas, & præsertim illas, quas Actor allegavit scriptas esse manu sui patris; nec super ea, atque item de legalitate patris sui, allegatione illius per Reum negatâ, aliqui producti seu interrogati sunt testes: ita ut de neutro illorum ad inducendam hanc semiplenam probationem facta sit aliqua fides. Atque ita cum hæc omnia exhibita sint omnino privata scriptura, nec constet, per quem, seu quos scripta sint; non potest prætextu semiplenæ probationis (quæ hic non est) Actori iuramentum in supplementum probationis deferri. Idque eo minus, quod, ut dictum est, veritas hujus rei, quæ non trahit originem ex facto, contractu, vel negotio Actoris, vel patris ipsius, non cadat in propriam & veram scientiam Actoris, ex qua sola posset deferente Iudice jurare, Boerius d. decis. 105.

Quam obiectionem verosimiliter metuens Actor ulterius allegavit consuetudinem universalem, quod registris & libris censuum conscriptis à fide dignis personis fides adhibeatur: sed hoc quoque à Reo negatum, Actor nullo genere probationis probavit. Ita quod ea in parte applicari non possit, quod ex consuetudine, si talis vigeret, privatis hujusmodi registris seu libris per adhuc viventes conscriptis fides plena adhiberi deberet, Panor. in c. *Cum dilectus de fide instrum. Boerius d. decis. 105. nu. 4.*

Neque etiam pro Actore ad asserendam fidem harum assertarum originalium scripturarum quicquam facere potest, quod antiquis libris fides adhibeatur, c. *Cum eam de probat. c. Ad audientiam de prescript. & plerique existimant, xelm. & alij nu. 2. De fide instrum. Molin. d. §. 5. nu. 17.* antiquis hujusmodi libris & registris talem semiplenam probationis effectum inesse: nam an pro antiquis ali-quod illorum, quæ hic exhibita sunt, accipi debeat, non satis constat; cum duo illi rotuli, etsi præ se ex aspectu antiquitatem referant, & quidem tantam, quod rem penè ad nullitatem redigant, ex eo, quod alterum eorum oblitteratis literis vix legi possit, ut mirum sit, quomodo inde describi potuerit exhibitum extractum: antiquitatis tamen qualitas & privilegium illis attribui non possit, id quod non constet, quo anno uterque scriptus sit. * Antiquitatem enim non facit in scripturis seu instrumentis, materia antiquitas aut obsolescentis seu exolescentis scripturæ inveteratio, sed numerus annorum, quorum dinumeratio longior, illius ætatem, quanta illa sit, detegit, Cravetta de antiq. temp. parte 1. in princ. Cum

Cum etiam illi, quod recenter scriptum est, vel ex mala collatione, aut custodia, vel ex affectatione & machinatione, facillime induci possit aspectus antiquitatis quoad materiam chartæ & scripturæ, c. *Inter dilectos vers. instrumentum quoque De fide instrum.* Quod attinet ad tres libros, quos Actor dicit manu patris sui scriptos esse (quod tamen ut diximus probatum non est) iustam antiquitatem non habent; cum sint (si illis in parte fides adhibenda est) scripti partim in anno 1540. partim in annis 1553. & 1556.

Ad antiquitatem autem constituendam, unde aliqua fides probationis aditui possit, requiritur major numerus annorum; & quidem ex communiori opinione requiruntur centum anni, *Decius in 6. l. nu. 18. De appellat. l. son in l. Cum antiquioribus nu. 7. c. De iure delib. Crayer. de antiq. temp. parte 1. §. 10. nu. 3. & qui quadraginta, Decius in d. c. l. n. 18. aut triginta annis contenti sunt ad hoc, ut aliquid antiquum pro re subiecta habeatur, plenæ aut semiplenæ probationis effectum tam recenter antiquo scripto privato non tribuunt, sed dumtaxat adminiculum, per se quidem infirmum, & quod in concursu aliarum imperfectarum probationum, Iudicem ad credulitatem tantum inducere possit. Quod potissimum obtinet, cum antiquum scriptum profertur non ex ar. hivo publico, sed de domo privata à persona suspecta; hoc est ab eo, qui illud ad suum commodum scripsit, vel ab ejus hærede. Qua enim ratione nemo sibi aut hæredi suo testimonium dicit, l. *Nullus de testib.* eadem nec sibi aut hæredi suo in præjudicium tenet adscribere potest, *Molin. d. §. 3. nu. 17.* potissimum non illius, contra quem hujusmodi antiqua privata scriptura profertur, & auctoris sui nullum factum cum dicta scriptura consonans adduci potest; hoc est in proposito, cum non probatur vel illum vel autorem suum solvisse hujusmodi censum, non quidem per librum ipsum hujusmodi antiquum; nam ut quoad ipsum jus census, hujusmodi scripturæ nulla est sufficiens aut semiplena probatio, ita nec annotatæ solutionis per alium factæ, sed per alias probationes liquere debet, *Lud. Rom. consil. 127. Posito quod dominium post princ. vers. est dicatur.* Iam verò et si Actor positivè allegaverit, se esse in possessione recipiendi hunc censum; id tamen quoad villam seu coloniam Rei nullo genere probationis probavit: ut maximè verum sit, Actorem esse in possessione recipiendi hunc censum à quibusdam intra dictos confines agros possidentibus, qui hoc jus agnoscunt, & sine contradictione hunc censum Actor solvunt. Inde enim inferri non potest possessio aliqua adversus Reum, seu ejus coloniam, nisi aliter probetur: cum ex re ipsa, adeoque ex petitione Actoris in hac causa facta, satis constet, Reum Actori numquam hunc censum solvisse. Antiquitas igitur exhibitum horum trium librorum seu registorum, quos Actor dicit manu patris sui scriptos, Actori nihil patrocinatur: præsertim quod idem libri seu registra lituris & dispositionibus, ac varietate scripturæ quoad annotationem, villam Rei concernentem, sit suspecta. Quæ suspicio militat quoque adversus quartum librum, non tantum ex aspectu, sed etiam ex adscripto anno, videlicet 1470. satis*

Conf. Wamel. Tom. II.

antiquo. Nam & in illo atramenti & scripturæ diversitas conspicitur in adscripto numero bonuariorum, quæ ibi ponuntur, variâ manu, & vario encausto ad numerum triginta sex: nam Actor ipse allegavit circiter triginta tantum esse. Cum alioqui hic quoque liber rejectitius videatur; quia à quo scriptus sit non constet; & præterea non nudam tantum contineat annotationem censualem; sed præterea nullam contineat annotationem factarum aliquarum solutionum, unde possessio recipiendi hujusmodi censum ex dicta colonia argui vel inferri possit. Exhibuit quoque Actor alium libellum, quem asseruit manu Rei scriptum, continentem similem annotationem, quod dicta villa debeat hunc censum; sed manu suâ illum scriptum esse negavit Reus, & Actor ne probare quidem tentavit. Credo in hac assertionem Actoris errorem Advocati esse, & pro Actore subiecisse Reum; & hoc voluisse asserere, quod idem hic libellus sit scriptus manu Domini Actoris: quod si verum esset, nihil Reo noceret: non enim potuit Actor suâ manu Reum, seu ejus præstatam coloniam debitorem sibi facere, d. l. *Exemplo.* Idque tantò minus, quod eadem annotatio in dicto libello ad præjudicium dictæ coloniz adscripta, apertè falsum contineat; quod scilicet dicta colonia debeat unum halstarium filiginis, & unum halstarium avenæ, utrumque confectum & coagitatum.

Ex his satis constat, per exhibita instrumenta seu scripta non esse satis probatum jus hujus servitutis seu oneris quoad fundos seu agros Rei sub dicta colonia: at nec possessionis ex aliqua Rei solutione. Ad externa igitur adminicula confugit Actor. Et primum ut hanc suam causam faciat favorabilem, allegat ex proventibus hujus census se debere singulis annis pro Missa B. Mariæ duos modios avenæ; eo fortè sine, ut leviores probationes & præsumptiones sufficiant, procliviusque pro hoc censu judicetur: ut generaliter pro pia causa judicandum est, & in dubia probatione illi potius favendum, *Tiraquel. De pia causa privileg. 146. & 148.* Sed ea consideratio nimis longè petita est; cum dicta Missa nihil possit decedere, si colonia dicti Rei huic censui non subijciatur: ex quo Actor fatetur se plures modios filiginis, & avenæ ex alijs aliorum fundis percipere; ex quibus dictæ Missæ debitos modiosolvere possit.

Urget quoque Actor confessionem Rei, quod hanc coloniam locaverit suo colono sub onere solvendi onera pagi seu communitatis, vulgò *Dorps lasten* nuncupata, hoc est *onera communitatis*. Quæ professio ut ei ad hoc proffit, in facto proposuit Actor, quod hic census, qui vulgò *Hondercozen* specialiter vocatur, semper fuerit appellatus onus pagi; quod tamen non constat ex aliquo eorum, quæ Actor pro instrumentis seu documentis in hac causa exhibuit; & ex tribus testibus, tertius de eo interrogatus non est; secundus hoc tantum dicit, quod audiverit bene dici, quod hic census sic nuncupetur: primus paulò latius dicit, quod hoc jus appelletur *het Dorps recht / & Hondercozen*, sed cur ita vocetur, nescit. Ex quibus duobus testimonijs plenam probationem constitui non posse, res ipsa satis indicat; multò minus ex suprascriptis testimonijs ex alia causa hic repro-

Mm 4

repro-

reproductis, ob rationes superius satis amplè deductas. Deinde ut hoc verum sit, hunc censum sub generali nomine oneris pagi contineri; illi tamen soli proprium non est, nec ei soli competit; cum pagi cuiusque onera & ordinaria & extraordinaria plura esse & occurrere constet. Cum igitur ex proprijs allegationibus Actoris, ut diximus, satis constet omnes fundos seu agros pagi de Nederilsche, at nec omnes eos, qui intra antedictos confines siti sunt, huic oneri non esse obnoxios; sequitur quod ex appellativa & generali hac appellatione oneris seu juris pagi, non possit inferri speciale hoc onus huius census, cui non omnes, sed aliquot tantum agri obnoxij sunt. Ita quod hac in re probabilius sit Rei declaratio, qui per Advocatum suum factam confessionem de locatione per Reum suo colono facta sub onere solvendi onus pagi, ipse personaliter, urgente ad hoc Actore, non contento predicta responsione Advocati declaravit, quod colono locaverit sub illo onere, quod tenereturolvere omnia & singula onera, quæ suæ coloniz per pagum imponerentur: ad quæ non potest hoc onus huius census referri: quod non ipse pagus imposuit, nec pago aut nomine pagi solvitur, sed aliunde constitutum, & non generaliter omnibus agris, sed quibusdam tantum impositum dicitur. Atque ita cum Actor totum genus seu jus universale asserere non possit, sed tantum particulare, non potest quoque ex particulari assertione, ut à genere argumentum ad particulari & separata duci. *l. Quod verò de legib. c. In genesi De elect. l. Papinianus De minorib. l. fin. De calumniis.*

Omnibus itaque diligenter perscrutatis, satis aperte deprehenditur, quod Actor destituatur idonea & sufficiente probatione, sine qua Reus condemnari non potest, sed omnino absolvi debet; Actore in expensis litis condemnato. * Quo Magnificus Dominus Rector propensior esse debet, ob id, quod in hanc causam propriè incurrat quæstio petitorij & proprietatis; an scilicet hunc censum fundi Rei debeant; & non defractionis, quæ extra controversiam est: cum Reus ubique fateatur se dictam coloniam locasse; quodque ex actis atque ipsis assertis documentis Actoris (quæ eatenus ei tamquam utenti illis nocere debent) constet hunc redditum esse feudalem, & ad suam Magnificentiam non pertinere huius causæ cognitionem; quia de feudalibus causis non ordinarius, sed feudalisd iudex etiam adversus clericum cognitionem habet, *c. Ex transmissa De foro compet. c. Caterum De indicij.*

De Censibus.

S Y M M A R I U M.

Census annui præstatio.

1. Actio de re etiam minima datur.
2. Census non ex quantitate sed ex qualitate assecuratur.
3. Registris censuibus Collegiorum statim.
4. Census solutio per tertium facta possessori prodest.
5. Solutum erroneè ex causa indicari non repeti.
6. Censuali professio ex falsa causa facta non nocet.
7. Clausula, salvo jure tertij, semper in omni actu subintelligitur.
8. Fundus quilibet ex destinatione partis familias formam

et modum solet accipere.

9. Census debitor fundum censualem demonstrare tenetur.

CONSILIVM CCCCLXXXIV.

DE re modica & exigua in aspectu videtur esse lis & controversia in Amplissimo Concilio Brabantiz in duabus causis, quas Nobilis & Reverendus Dominus Commendator domus de Pitzenborch Ordinis Teutonorum in civitate Mechliniensis Impetrans & Actor prosequitur: primam adversus Petrum Pinnock, de censu annuo unius denarii Lovanienfis, pro quo solvi debent quindecim mitæ; alteram adversus M. Baptistam Bulastre maritum Domicellæ Mariæ Mordans, de censu unius dimidij consimilis denarii, pro quo solvi consueverunt septem mitæ cum media: & ad eod quidem modica, ut quisquis sit utriusque exitus, impenfa fructum sit assumptura; & aliquo modo suppedierit tam exigua rei operam studiumque nostrum adhibere. Verum quod in recessu illius lateret, & ab exitu ejusdem dependet, momenti plurimum habet: quippe de Registorum censualem, quæ latè diffusa habet Impetrans, fide & auctoritate sustinenda, incidit quæstio. * Nam quamvis exiguus admodum sit denarii unius census, & magis exiguus, qui dimidij dumtaxat denarii est: quæ tamen ex substantia, & veritate census, quamvis modici, dependet in censualem fundum superioris & iurisdictionis, item quæ ex alienatione censuali fundi domino censuali, ex moribus debentur relevia, vectigalia, laudemia, aliæque dominicalia jura, Ioan. Fab. ad S. adeo Insist. De locat. & conduct. car. Molin. ad consuet. Paris. tit. 2. de censibus gloss. 3. efficiunt, ut iustum momentum causæ habeat, & instructionis defensionisque diligentiam bene requiratur, & pudorem verendumque abstergat. Cum alioqui iustitia non ex magnitudine aut parvitate rei, sed illius veritate dependeat: ut & de gallina, imò de ovo, adeoque etiam de suffuratis, *l. Carbonum De verbor. signific. de stercore animalium, l. In omnibus C. De cursu publico lib. 12.* actio reprehendi non possit, §. Gallinarum & ibi Gloss. Insist. De rer. divis. & de minimis etiam rebus agere liceat, Tirag. de iudic. in rebus exiguis seren. vers. Sunt tamen è diverso; & summi etiam viri de rebus parvis consulti, non indignanter absterfo pudore responderint; hic de vacca, Steph. Bertrandus consil. 94. Quia post alias vol. 8. de uno scuto auri, Bertran. consil. 441. Spectabiles viri vol. 4. de quatuordecim grossis, Bertran. consil. 175. Licet dictum vol. 6. alius de pileo, And. Barbosa consil. 12. Visa facti se. i. vol. 2. & sæpè de uno nummo seu denario incidat non contemnenda quæstio, Iason & alij in Auth. quitem C. De sacros. Eccles. * Et omnes, qui nunc ferè ex consuetudine in usu sunt census, in modica quantitate consistunt, Io. Faber in d. §. adeo sub fin. ideoque in censibus magis consideretur qualitas ipsa; hoc est honor & recognitio domini directi, quam illius quantitas. Vnde scribit Baldus, in l. Adem nu. 10. C. Locati, sæpè quæ parvæ sunt quantitatis, esse, quandoque magnæ considerationis. Paucis itaque scrupulose diligentiz & sollicitudini Domini Impetrantis nos accommodantes in propositis duabus causis desungemur; demonstrando ejusdem Impetrantis